



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LXXIX. De Canonico Epileptico, cui datus est Coadjutor, mortuo

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

## TITULUS VI.

### De Clerico Ægrotante vel Debilitato.

#### DECISIO LXXIX.

De Canonico Epileptico &c. Coadjutorem habente,  
ac postea mortuo.

#### SPECIES FACTI.

Adelbertus non minus morum integritate & elegantia, quam sanguine Nobilis, in pueritia consecutus est Canonicatum admodum pinguem in Germania, sed intra paucos annos ab adita possessione incidit in epilepsim, & successivè in alios morbos, ita ut nulla Ecclesiæ servitia præstare potuerit, atque insuper duas Missas suo Canonici annexas, quot hebdomadis vel à se vel per substitutum legendas, pro quibus valde amplios percipiebat redditus, per biennium omiserit. Reliqui Canonici, ne ob continuam à Choro absentiam Adelberti res Divina pareretur detrimentum, & ipsis onus diligentius frequentandi Divina inde accresceret, voluerunt, ut sibi pareretur constitui Coadjutorem, in quem & ille consentit, assumendo Gundisalvum, qui sibi in futurum consulturus Romæ obtinuit spem & jus succe-

dendi in Canonicatu, & sacra interim servitia Ecclesiæ pro Adelberto præstitit, quin tamen aliquid fructuum, quos omnes, etiam distributiones, Adelbertus sibi reddi postulavit, perceperit. Iste ætate jam gravis obiit relictis ædibus Canonicalibus prorsus ruinosis, eò quòd ob morborum molestias neglexerit custodiam tectorum, regularum, & lignorum eas sustentium. Post obitum pro loci consuetudine consanguinei capiebant opulentam hæreditatem, at Gundisalvus ab his Hæredibus sequentia petiit, I. Ut sibi ex relictis solvantur alimenta, quibus indiguit ad suam sustentationem pro tempore, quo fuit Coadjutor Adelberti. II. Ut suppleri curarent ex hæreditate Missas geminas, duobus annis omissas. III. Ut repararent ædes Canonicales ruinam minitantes. Unde

## QUÆRITUR I.

An Gundisavus justè petierit ab hæredibus Coadjutori  
 alimenta sibi solvi pro tempore suæ Coadjutoria?

**E**Xcipiunt hæredes I. & opponunt receptam consuetudinem, vi cuius Coadjutores Canonicorum reside-  
 re, servire in Choro, & alia munia obire pro suis Coadjutis absque aliqua alimentorum contributione tenentur. Id quod maximè procedit II. quando Coadjutor consecutus est spem vel potius jus succedendi in Canonicatu, per quod sufficiens fit remuneratio servitorum & residentia. Unde & Jus Sacrum in c. 1. b. t. omnes omnino fructus attribuit Coadjuto, nullos Coadjutori; ibidem enim Coadjuto præberi jubet, quæcunque ei, si sanus esset, poterant ministrari. cuius rei bona redditur ratio IV. quòd afflicto non fit addenda afflictio. c. 5. eod. quod fieret, si æger quibusdam fructibus sibi subtractis alere Coadjutorem deberet. Præsertim si V. pro duobus sustentandis non sufficiant reditus, aliàs Coadjuto obvenientes, ut hæc videtur contigisse; cum Adelbertus, utpote nobilis sanguine, longè ampliores reditus pro sua sustentatione exigere potuerit, quàm plebejus, & si non omnes insumpsit, fuerint fructus parsimoniales, qui per se debentur hæredibus consanguineis. Juris autem est, quòd, ubi reditus non sufficiunt pro alendo utroque, præferendus sit Beneficiatus Coadjutus, qui habet titulum, jus, & possessionem

Beneficii, Coadjutori, qui nullum habet ministerium. Text. & DD. c. 3. b. t. cum Abb. ibid. n. 6.  
 At contrarium sentire nos debet non solum Jura manifesta in c. 3. ubi de facultatibus Ecclesie, ad sustentationem suam, congruam recipiuntur, Coadjutor, & in c. 1. ubi in 6. ibi: Coadjutores hujusmodi deventibus Prælatorum, in quorum ministerio auxiliantur, sumptus recipientes deratos. Concordat Trid. sess. 25. de Ref. volens partem fructuum Coadjutoribus pro sufficienti victu assignari. Sed etiam SS. Litteræ illis verò in c. 25. Non alligabis os boni viri, nimirum laborantibus non denegantur alimenta, ut est communis interpretatio cum Cornel. à Lapide. nec Cor. 9. ubi ait Apostolus: qui ministerio servit, de altari vivere debet. Text. gl. & DD. in c. cum secundum de Preb. Atque sic docentur communiter Auctores etiam de Coadjutoria perpetuo, seu cum spe vel successione dato, vel assumpto. Exceptiones opposita non debent attendi: non allegata Coadjutoria quia solum procedit; ubi ita est Coadjutorum & Coadjutum præferentia est conventum, qua contra seclusa contrarium ubique præferatur.

non Jus successione, quia istud non acquiritur à Coadjutore in compensationem servitorum, quæ præstat Coadjutore, sed à Pontifice prorsus liberaliter conferitur salva interim mercede; quæ debetur pro sustentatione residentis & in Choro servientis Coadjutoris loco Coadjuti: non c. 1. cit. quia, licet ibi omnes fructus adjudicentur Coadjutore limitate, per hoc tamen non liberatur Coadjutus ab onere præbendi alimentum ex dictis fructibus sibi residuis suo Coadjutore, quod alia Jura & ratio manifesta ipsi injungunt; possunt enim hæc duo simul stare: non Ratio, quia afflictio non reputari debet, si Coadjutus, qui nihil servitorum præstat Ecclesiæ, de superfluis redditibus, qui omnes ipsi cedunt, alere debeat Coadjutorem, qui ejus labores & o-

nus portat, dignus utique alimentis propterea; in c. 5. cit. est sermo de illa afflictione, quæ consistit in privatione Beneficii; hanc Jura noluerunt addi vel irrogari afflicto, seu agrotanti Clerico; sed potius voluerunt ei succurri per Coadjutorem, à Coadjutore, si patiantur redditus beneficiales, alendum: non denique *Defectus reddituum* pro sustentando utroque non sufficientium; quia constat, eos abundantes fuisse ad alendum tam Coadjutorem quam Coadjutum. Cum igitur onus alendi Coadjutorem incubuerit Coadjutore, & iste in vivis illum non aluerit, hoc onus translatum est in hæredes; utpote qui, sicut in omnia jura, ita & in obligationes defuncti successerunt.

## QUÆRITUR II.

An Gundisalvus rectè petierit à dictis Hæredibus, ut suppleri curent Missas, in quibus per duos annos deficit Adelbertus?

Non obstante, quòd hæredes Gundisalvo objiciant, hanc rem ad ipsum nihil pertinere, ac prout actionem ipsi non competere; ac insuper præsumi posse ac debere, quòd Adelbertus per tertium legi fecerit Missas suo Canonicali annexas; & demum licet omisisset gemina sacra singulis hebdomadis dicenda, nullam tamen hæredibus incumbere obligationem ea supplendi; cum nec ipse Adelbertus, si convalesceret, ad ea supplenda obligatus extitisset; eò quòd nec Ecclesia,

nec Fundatores censeantur tam rigidè obligare Beneficiarios, ut, si ob morbi impedimentum implere non possint obligationem suam, postea id, quòd præstare non poterant, compensent sub poena amittendi fructus & stipendia; cum nec Domini sæculares, paulò moderatiores, soleant suos famulos privare stipendiis, si ob morbum præstare servitia non potuerint, nec alios, qui præstarent, sibi substituerint. Sic etiam Canonici, licet per integrum annum, vel per plures

ob morbi impedimentum interesse Divinis, & alia Officia obire non possint, non privantur ulla parte fructuum, etiam distributionum quotidianarum, utut istæ pro singulis interessentiis velut merces constitutæ sint.

His, inquam, non obstantibus, iustè omnino postulavit Gundisalvus, ut hæredes Adelberti adigantur, ut ex massa hæreditatis compensent gemina sacra hebdomadaria per duos annos à defuncto neglecta. Ratio fundatur in pacto tacito, quod Adelbertus inuit ad dicta Sacra hebdomadatim dicenda secundum intentionem Fundatoris, quando Canonicatum, cui illa cum peramplis redditibus sunt annexa, recepit: cum igitur redditus præfatos perceperit, simul obligationem dicendi per se, vel per alium, illa sacra contraxit, cui cum in vita non satisfecerit, clarum est, eam ad hæredes, ad quos illi redditus pervenerunt, vel saltem hæreditaria bona, fuisse devolutam titulò Justitiæ. Accedit, quòd præter ordinationem Fundatoris, non sine onere geminarum quot hebdomadis Missarum tam pingues redditus concedentis, subintret etiam obligatio ex parte hæredum ad exonerandam animam defuncti juxta vires hæreditatis. per *c. fin. de sepulturis. Et c. Nos quidem de Testam. &* quidem, si à Judice moniti per annum facere id neglexerint, sub pœna amittendi hæreditatem. *Auth. hoc amplius. C. de fideicommiss. Et Nov. 1. c. 1. S. si quis autem.*

Opposita parùm stringunt; siqui-

dem Missarum celebratio est causa præconsequenter ad eam exigendam constituitur de populo (à fortiori in Canonicatu & beneficio successori) competit actio, ut docent tam Theologum quàm Canonistam, congeli per *Dionysium nam to. 6. tr. 8. resol. 40. &* per *Boetium bosam de 7. E. II. l. 3. c. 27. n. 11. imò etiam nemine agente vel infirmo Judex tenetur ex officio suo compellere hæredes ad causam piam celebrandam. Ridolphin. in Præxi p. 2. c. 4. n. 68. Card. Mantica conject. ult. volunt. l. 4. tit. 5. art. 1. n. 14. Id quod DD. quoque tractant de obligatione ad sacram supellectilem in statu hono servandam in *Beneficii conformiter textui in fin. caus. 12. q. 1. Et c. de bis 4. de clef. adif. Surd. conf. 62. per tot. Sperell. decis. 67. à n. 4. Clericus Sacrificio Missæ decis. 44. ubi præclarat, ad quos spectet provisorum mentorum Ecclesiæ vel Altaris celebrandis Missis, ac aliis officiis Divinis. Præsumptio merè probabilis & dubia satisfactio, atque celebratio incerta non sufficit, ubi obligatio claris Fundatoris verbis est certa & dubitabilis. Præterquam quòd præsumptio pro celebratione Missæ facta locum non habeat in hoc casu cum Missæ debuissent legi vi fundationis in loco certo, in quo tamen actas non fuisse satis constat; præsumptio enim cedere debet veritati.**

Ultimum in Capellanis & Missis fundatis non procedit; quia Fundatores assignare solent redditus in illis

ni & mercedis, quæ non debetur, nisi præfinito opere. *erg. l. 15. §. 2. & ff. Locati. l. 5. ff. §. 1. t. C. de con- d. ob. cas. ibique DD.* qui notant, Dominum, qui promissio stipendio vel mercede conduxit famulum, iste vero diuturno morbo detentus non præbat operas, non teneri ad exfolvendam ei mercedem, nisi aliter sit conventum, aut nisi aliud ferat consuetudo, uti habet apud Officiales Principum, cum quibus fortè esse potest paritas quoad fructus Canonicales, qui præcisè pro residentia in

loco Canonice statuti sunt. Cum his fructibus, uti & cum Distributionibus quotidianis ex una, & ex altera parte cum redditibus, pro certo numero Missarum quot hebdomadis dicendarum designatis, non est paritas; quia fructus Canonicales & Distributiones quotidianas Jura ipsa tribui volunt ægrotantibus Canonicis, non verò redditus pro certis Missis, si istæ ob morbum omittantur, fundatis, utpote per modum salarii & mercedis pro Missarum penso statutis.

### QUÆRITUR III.

*An Gundisalvus jure petierit, ut hæredes reparent ædes Canonicales, quas Adelbertus ruinosas reliquit?*

Etiam ab hac reparandi domum Canonicalem obligatione immunes esse volebant hæredes. I. ideo, quia obligatio reparandi domos Beneficiorum & Canonicorum incumbit illis, qui tenentur reparare ipsas Ecclesias, ut habet communis cum Barbosa *ex c. 1. §. 4. de Eccles. adific.* qui etiam in *tr. de offic. Paroch. c. 13. n. n.* sic à S. Congregatione declaratum refert; quia nimirum hujusmodi ædes sunt accessoriae ad Ecclesias: at qui ad reparandam Ecclesiam nemo unquam obligat hæredes Beneficiati vel Canonici defuncti, cum reparari debeat ex redditibus Fabricæ. *can. 10. can. 10. q. 1. Sperell. decis. 67. n. 1. & alii communiter.* II. quia nec ipse Adelbertus vivens fuit obligatus ex

suis redditibus, quos percepit ex suo Canonice, reparare ædes, eò quòd isti redditus non fuerint redundantes, sed necessarii ad ipsius sustentationem, & si eos in hunc finem non absumpsit, ejus parsimonie est tribuendum: ex redditibus autem parsimonialibus utique non fuit obligatus Adelbertus, sed tantum ex Beneficialibus sui Canonice, iisque ultra congruam Nobili debitam residuis. per verba *c. 4. cit. ibi: si eis supersint.* Sperell. *n. 4. seqq. III.* quia ipse Adelbertus vivens jam satisfecit, siquam habuisset, obligationi; diversis enim temporibus varia fecit melioramenta in sua domo Canonicali, & satis magnos successivè sumptus ad illius conservationem: ergo nulla amplius obligatio remanet apud

apud hæredes. IV. Si Adelbertus in vivis novum ædificium struere cœpisset, non tamen consummasset, hæredes ipsius non obligarentur illud perficere. Clericatus *de Beneficiis discord.* 25. in f. ergo neque tenentur ruinofum ab ipso relictum ædificium reficere seu reparare hæredes.

Verum nec ab isthac obligatione hæredes exemptos esse permittunt Jura & DD. siquidem I. Beneficiarius, adeoque & Canonicus quilibet, similis est usufructuario. Gl. in c. 3. v. *finium regund. de Probat.* & in c. *possessiones* 10. v. *Monachi de reb. Eccl. alien.* Peregrin. *conf.* 85. n. 2. to. 5. sed omnis usufructuarius de Jure obligatur servare facta tecta, & ædificia bene custodita. text. clari in l. 7. §. *fin. ff.* §. l. 7. C. *de usufr.* ergo etiam cuilibet Beneficiario, & Canonico, hæc eadem incumbit obligatio: ergo; si ipse in vita defecit in ea adimplenda, adstringendi sunt ipsius hæredes ad supplendum hunc defectum. Peregr. *Conf.* 50. n. 7. to. 2. Belletus *de Clerico debitore* §. 10. n. 8. *Surd. Conf.* 62. n. 1. 2. *Valasc. decis.* 105.

II. Statutum reperitur in *can. quatuor* 12. q. 2. ut de redditibus Beneficialibus quatuor fiant partes, quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. Adeoque Beneficiati tenentur de suis redditibus (ultra congruam nempe redundantibus) portionem suam applicare ad facta tecta, & reparanda ædificia Beneficialia, seu ad fabricam: quod ubi non fecerunt Beneficiati,

vel Canonici, vel Episcopi etiam, implere hæredes debent ex bonis hereditatis, ut clarè deciditur *can. Episcopus* 32. *caus.* 12. q. 2. ibi: *de bonis que reliquit, ab hereditibus ejus, in hereditatibus Ecclesie* (idem est de *Beneficiatorum* secundum dicta) *insulatur*. Gloss. in *can. cit.* in f. & in *parochiano v. sed ejus heredes*. de *Episc.* Faciunt. text. in c. 1. §. 4. de *hereditatibus*. & ibi Canonista. Sperell. *ad co.* Accedit consuetudo imò & statuta loci, vi quorum tenentur Beneficiales suas domos Beneficiales bene servatas suis successoribus relinquere: quod cum non fecerit Adelbertus, hæredes illius pinguem hereditatem adeo obligantur ædes Canonicales in eundem statum ponere, reficere, & reparare.

III. Beneficiati, & eorum hæredes de Jure adstricti sunt ad reddendam rationem non solum de dolo, sed etiam de culpa, in gubernio rerum ecclesiasticarum commissa, etiam imò etiam levissima, ut communiter Canonista cum Jo. Andr. de *Imol.* in c. *cum in officiis*. de *Testam.* traditque Gloss. in *Aut. idem* *de offic. Archidiacon.* Bellet. *lo. cit.* Adelbertus excusari non potest omni culpa, dum per longum temporis spatium fructus est amplius redditibus, & tamen neglexit reparandum saltem per alios, cum ipse in bo detentus inspectionem facere non potuerit, sed ruinofam & inabili statu reliquit. Quia verò

facere debuerat defunctus in reparacionem ædium, expensæ in massa hæreditaria ad hæredes pervenerunt, isti eas nunc refundere tenebuntur.

Exculationes hæredum ipsos non relevant. Non I. quia transmissa *Manegatur Min.* cum, sicut Beneficiati ex bonis Beneficialibus superfluis obligantur non tantum ad suas ædes in bono statu conservandas, sed etiam ad concurrendum in reparacione ipsius Ecclesie necessaria præstandum juxta proportionem. *Sperell. decis. 67. cit. n. 4. 5.* atque ita decidit S. Congregatio Concilii 26. Jan. 1581. ita & hæredes obligentur ad idem; cum hæredes non minus in onera, quam in jura & commoda defuncti. Solum tunc non datur obligatio ad reparandam Ecclesiam penes Beneficiarios, quando Ecclesia ipsa habet sufficientes redditus pro fabrica destinatos ad reparandum: cujusmodi speciales redditus non solent fundari pro fabrica domorum Beneficialium, vel saltem redditus ad Ecclesie fabricam destinati non applicari consueverunt ad reparandas ædes Canonicorum vel Beneficiariorum. Non II. quia negatur *Ma.* vel potius suppositum, quod redditus ex suo Canonicatu non percipiunt redundantes ultra congruam *Adelbertus*, & simul advertitur, quod juxta communem teste *Sperelli allegato a P. Schmalzgrueber tit de Eccles.*

*ædifi. n. 48.* nobilitas & status accidentalis in ordine ad reparandam Ecclesiam & domos Beneficiariorum non attendatur, sed solum alimenta, ita ut propter nobilitatem vel similes qualitates accidentales in ordine ad dictum finem non augenda sit congrua, sed hæc præcisè consistat in necessariis alimentis personæ secundum se considerata, non secundum nobilitatem vel similem qualitatem accidentalem. Non III. quia, licet in quibusdam melioraverit *Adelbertus* suam domum Canonicalem, in aliis tamen partibus valde notabiliter deterioravit, & quidem culpabiliter negligendò custodiam rectorum &c. ex qua negligentia ædes factæ sunt ruinosæ. Melioramenta autem illa, quæ aliàs ipso jure cedunt Beneficio, ita ut nulla compensatio ab hæredibus defuncti peti possit. *Abb. in c. de his n. 5. de Eccles ædifi. & Peregrin. de fideicommiss. art. 50. n. 43.* non adæquant deteriorationem. Non IV. Nam negatur *conf. & paritas* quia Jura & Doctores, quando adstringunt Beneficiatos ad suppeditandos redditus fabricæ, loquuntur de restauratione ac reparacione Ecclesiarum & domorum veterum, non autem de ædificiis, quæ Beneficiatus construere ex sua liberalitate cepit, & consummare non potuit morte præventus, vel aliter impeditus.

(R.P. Pichler Decisiones.)

M m m

TITU-